

geli, ut vult Richardus Victorinus; vel potius B. Virgo. Ita S. Bernardus, serm. *de Beat. Mar.*: « De throno, ait, procedebant fulgura, et voces, et tonitrua quia mater filii Jesu Christi parabolas, enigmata, legalia et mirifica gesta, dicta et opera avidius ebit, fidelius credidit, sincerius luculentiusque aliis edidit. »

Alii distinctius per fulgura accipiunt B. Virginis miracula; per voces, blondas cohortationes; per tonitrua, increpationes, minas gehennæ, ultiones et supplicia hostibus suis et impiis ab ea inflicta. Hinc B. Virgo a S. Epiphanio, serm. *de Laud. Deiparæ*, vocatur « thronus cherubim ».

Scripsit hac de re opus ingenuum, pium æque ac eruditum noster P. Outonius Spinellus, provincialis Neapolitanus, cujus titulus est « Maria Deipara thronus Dei. »

17° QUANTA ILLI OB MATERNITATEM DIVINAM DATA
SIT GRATIA ET COGNITIO.

IX
637
2

Dixit mihi creator omnium: Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo. (Eccli. xxiv, 12.)—Quemadmodum ex unione humanitatis Christi cum Verbo, colligimus, naturali quadam consecutione, datam esse illi infinitam gratiam capitis, et impeccabilitatem, et omnem rationem merendi et satisfaciendi pro hominibus, tanquam mediatori et redemptori, et omnem scientiam et cognitionem eorum, usque ad cogitationes; denique omnia charismata, tanto uberius et excellentius quam aliis, quanto excellentius nomen capitis hæreditavit quam membra, et nomen

filii, quam ministri ejus angeli vel homines: sic etiam fateamur quasi naturali quadam consecutione, ex matris dignitate debitam illi immensam quandam gratiam, qua facta est Dei gratia impeccabilis, advocata, mediatrix et redemptrix omnium hominum; et indita est illi cognitio eorum omnium requisita, et tam copiosa affluentia charismatum et donorum supernaturalium, quanto excellentior est mater servis et propinquior verbo quam cæteri, tam angeli quam homines.

Juxta hoc recte Methodius, orat. *de Purificatione*: « Euge, ait, euge quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: Deo enim universi debemus; sibi autem etiam ille debet. Proinde qui dixit: honora patrem tuum et matrem tuam, ut is decretum a se promulgatum observat, et alios excedat, omnem matri et gratiam et honorem S. Cyprianus quoque, serm. *de Nativ. Christi*: « Matri, ait, plenitudo gratiæ debebatur. »

18° AN VIDERIT TUNC DEI ESSENTIAM, ET ACCEPERIT
CLARAM REVELATIONEM SUE PREDESTINATIONIS ET
EXULTATIONIS SUPER OMNES ANGELORUM CHOROS.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es; oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. (Cant. iv, 1.)—Expertus per septem dotes columbæ accipiens septem dona Spiritus sancti infusa B. Virgini, per *in intrinsecus latet* accipit interna et ineffabilia lumina ac charismata eidem collata, quæ solus Deus videt. Si enim Paulus, inquit, « dixit raptum se fuisse in paradysum, sive usque ad tertium

VIII
32
2

cœlum, ita ut nesciat sive in corpore, sive extra corpus fuerit, et audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui; quanto magis tu, Regina cœlorum, persœpe cœlestibus interfuisti, quippe quam et circumsteterunt obstetricum vice gloriam Deo concipientes angeli, et inter hæc didicisti, vel assecuta es aliquid quod latet et latere non debet?»

Igitur sentit Rupertus B. Virginem raptam esse in tertium cœlum, et vidisse arcana mysteria, quæ non licet homini loqui perfectius et excelsius, quam Paulus. Quocirca B. Virginem subinde vidisse divinam Filii sui essentiam, uti vident beati in cœlo, præsertim in die incarnationis, nativitatis et resurrectionis Christi, multi probabiliter opinantur, uti S. Antoninus, Dionysius, Carthusianus, Gersonius, Casalius, Medina et alii, quos citat et sequitur Franc. Suarez, III part. *quæst.* LXXXVII, art. 4, disp. 55 et 56, ubi hanc Dei visionem soli B. Virgini concedit; cœteris vero omnibus sanctis in hac vita, etiam S. Paulo et Moisi, adimit.

Rursum *quod intrinsecus latet* fuit interna et ineffabilis B. Virginis humilitas, virginitas, charitas, quæ externo modestiæ, simplicitatis et paupertatis velo tecta, acrius coram Deo effulgurabat: hoc enim verbum ex sede Patris ad se attraxit, ut in se et ex se caro fieret.

XVI
27
1

Fiat mihi secundum verbum tuum. (Luc. I, 38.) — S. Antoninus, IV part. tit. xv, cap. xvii, § 4 suspiratus B. Virginem in conceptione filii Dei vidisse Dei essentiam, utpote quam in se recipiebat, uti S. Augustinus, S. Thomas et alii dicunt eandem vidisse S. Paulum in raptu. Et certe si Paulus eam vidit multo magis eam vidit B. Virgo. Idem opinantur

Rupertus, *Cant.* IV, ad illa: «*Oculi tui columbarum;*» Dionysius, Carthusianus, in I, dist. XVI, *quæst.* II; Gerson, alphab. xv, tit. VIII; et S. Bernardus, serm. *de Beat. virg.*, t. II, et hodie multi quoque Theologi idem sentiunt.

19° SOLA VERBI INCARNATIONEM, NATIVITATEM, VITAM ET GESTA, PER EXPERIENTIAM OCULORUM COGNOVIT, ET MAGIS MENTALEM.

Radix sapientiæ, cui revelata est? (Eccli. I, 6.)—Allegorice, radix sapientiæ, est B. Virgo Deipara: hæc enim mater est Sapientiæ incarnatæ, puta Christi. Unde a Patribus vocatur et in litanis invocatur *radix sapientiæ*, quam Deus creavit in Spiritu sancto, ut dicam *v. g.* Hujus enim admirabilem conceptionem, nativitatem, præsentationem, vitamque angelicam in templo, annuntiationem, partum Verbi, etc., virtutes, dotes, prærogativas, excellentias, prudentiam et sapientiam nemo comprehendit; præsertim quia ipsa sola Verbi incarnationem nativitatem, infantiam, sapientiam, vitam et gesta per experientiam ocularem, auritam, sensibilem, et multo magis mentalem, puta, per illustrationem, intellectus, et ardores voluntatis sibi a Verbo intra se concepto, et jugiter sibi præsentis assidue immissos cognovit, eaque S. Lucæ, ut ea in evangelio conscriberet, ac apostolis et fidelibus revelavit.

Unde S. Thomas, I part. *quæst.* 25, art. 6, ad 4, quærens, an Deus possit creare creaturas perfectiores quam creavit, et illis rursus alias et alias perfec-

IX
61
4

tiores in infinitum, respondet posse ; sed excipit tria, scilicet incarnationem Verbi, maternitatem Virginis Deiparæ, et beatitudinem nostram, quia sita est in visione et fruitione Dei. Hæc tria enim, cum Deum involvant, imo pro objecto habeant, hinc nihil iis potest a Deo fieri melius ; alioquin enim Deo aliquid esset præstantius. Quare sicut non potest esse perfectior homo, quam Christus, utpote homo Deus ; nec perfectior felicitas, quam visio et possessio Dei : sic nec perfectior a Deo potest fieri mater, quam mater Verbi, utpote Dei. « Quare hæc tria, inquit, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus : et hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo. »

Denique, ipsa est *radix sapientix* : quia illam supereminentem a Deo sibi infusam, apostolis, cæterisque fidelibus, communicavit, et in dies se invocantibus communicat, ut communicavit S. Gregorio Thaumaturgo, jubens S. Joanni, ut illi traderet symbolum formulamque fidei, quam Origeni, Ario et hæreticis opponeret. Item Alberto Magno, Ruperto abbati Tuitiensi, S. Thomæ Aquinati, aliis que pluribus. De hoc plura, cap. xxiv (Eccli. v, 6 et seq.)

2º IN FILII SUI CONCEPTIONE PERFECTAM
SANCTIFICATIONEM ACCEPTIT.

XII
823
1

Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem. (Ezechiel. xliii, 1.) — Mystice S. Thomas, III part. *quæst.* 27, art. 3 in corpore, docet B. Virginem peculiariter fuisse sanctificatam eo tempore,

quo concepit in utero Filium Dei : « Et hoc, inquit, significatur Ezechiel xliii, ubi dicitur : *ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem*, id est per B. Virginem ; et *terra*, id est caro ipsius, *splendebat a majestate ejus*, scilicet Christi. » Tunc enim censet ipse in B. Virgine plane fuisse extinctum fomitem concupiscentiæ per verbum in ea incarnatum qui antea tantum erat ligatus. Verum hunc fomitem in ea extinctum fuisse dum primo conciperetur, adeoque tunc eam fuisse præservatam a peccato originali, et consequenter ab ejus fomite, longe verius videtur : estque hic communis fidelium sensus, uti docent Suarez, Baradius, Canisius et alii.

Hæc omnimoda puritas decebat matrem Dei ; quis enim credat matrem Dei aliquando fuisse servam peccati et filiam diaboli. Ipsa ergo in conceptione integram sanctitatem, in incarnatione vero ingens sanctitatis incrementum a Christi sui majestate accepit. Et hoc significat vox *splendebat* pro qua vertunt Septuaginta quia ἐξέλαμψεν ὡς φεγγος, id est *resplendebat quasi fulgor* (Complutensia vertunt *quasi fulgur*.) q. d. B. Virgo concipiens Christum ab eo illustrem sanctitatis splendorem et fulgorem accepit, quæ in primo sui conceptu ejusdem nitorem acceperat, ut jam miro splendore fulguraret, quæ ante plane nitebat et lucebat.

Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. (Luc. I, 38.) — B. Virgo, in hac conceptione filii, eximium accepit gratiæ augmentum et perfectam sanctificationem ; nec de hoc sine temeritate dubitari potest, ait Suarez, III part., *disput.* xviii, *sect.* iv. Unde Beda, hom. *de Visitatione* : « Quis, inquit, dicere, quis æstimare sufficiat, qua

XVI
27
1

tunc gratia Spiritum Dei genitricis replevit cum tanta in matre præcursoris lux boni cœlestis emicuit ? »

Causam dat S. Bernardus, tom. I. conclus. 6, art. I, cap. 12 : « Quod Deus, inquit, generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale ; sed quod femina conciperet et pareret Deum, est et fuit miraculum ; oportuit enim, ut sic dicam, feminam elevari ad quamdam æqualitatem divinam, per quamdam quasi infinitatem perfectionum et gratiarum, quam æqualitatem creatura nunquam experta est. Unde, ut credo, ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in B. Virginem descenderunt in hora divinæ conceptionis, intellectus humanus vel angelicus nunquam potuerunt attingere. »

Subdit aliam deinde causam, quod scilicet esse matrem Dei sit dignitas quædam infinita, quæ sibi proportionatam gratiam requirit. « Ex his, inquit, colligi potest Virginem beatam in conceptione filii Dei consensu plus meruisse, quam omnes creaturas, tam angelos quam homines, in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus suis ; nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status et gradus, gloriam sempiternam : hæc autem Virgo in illo admirando consensu, meruit totalem fomitis extinctionem, dominium et primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum interpretationes sermonum, spiritus prophetiæ, discretionem spirituum, operationes virtutum. Meruit fœ-

cunditatem in virginitate, maternitatem Filii Dei ; meruit quod sit stella maris, porta cœli et, super omnia, quod regina misericordiæ nuncupatur, ac talis nominis consequatur effectum. Unde merito, *Proverb.* cap. ultimo, de ipsa B. Virgine Salomon ait : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa est universas.* »

21° POST CONCEPTIONEM FILII DEI MIRABILITER IN
SANCTITATE ET SAPIENTIA CREVIT.

Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, odorem dedit. (Eccli. XXIV. 20.) — Melius romana et cœtera græca legunt ἀσπάλθος ἀρωματων, *aspalathus aromatum*..... porro, aspalathus, arbor parvus, vel potius arbustum est redolens, præsertim apparente iride, uti tradit Plinius. lib XII, cap. XXIV, et Aristoteles, in *problem.* sect. 12 n° 3, ubi et hujus rei causam indagat.

Quod apte congruit... mystice B. Virgini et sanctis. Iris enim symbolum est misericordiæ et gratiæ Dei, a quo omnis sapientiæ decor, odorque, dimanat. Rursum iris symbolum est incarnationis Christi ; hæc enim est quasi arcus cœlestis habens duo cornua, id est duas naturas, divinitatem scilicet et humanitatem, uti septem analogiis ostendi *Genes.* IX. 13. Ab incarnatione autem Christi omnis B. Virginis nostraque sapientia et sanctitas derivantur. Quare licet illa ante Verbi conceptionem et incarnationem plena esset gratia, uti salutata est ab angelo, tamen mox ubi Verbum in se concepit et comparavit, quasi plena Deo mirabiles sapientiæ et

IX
612
2

sanctitatis odores et ardores in Judæa, ac deinde per universum orbem sparsit.

22° VARIA PRIVILEGIA EI DATA QUÆ NOBIS
SUNT INCOGNITA.

VI
509
2

Non timebit domui suæ a frigidibus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. (Prov. xxxi. 21.) — Hæc omnia facile est adaptare B. Virgini; ipsa enim vestita fuit veste duplici et coccinea bis tineta, id est ardenti charitate Dei et proximi, juxta illud *Psal. XLIV: Omnis gloria filiae regis ad intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, puta omnium virtutum varietate. Interioris enim hominis, puta mentis, vestis aurea est caritas; exterioris hominis vero vestis est modestia et continentia, quæ cæteras virtutes complectitur. Rursum ipsa duplici veste, scilicet vita activa et contemplativa, dotata fuit.

Porro pretiosissima fuit ejus charitas, tum quia superveniens in eam Spiritus sanctus, qui per essentiam, imo ex vi processione suæ est increatus amor et charitas, totum se cum illa virgini infudit; tum quia ipsa continuos et arduos hujus amoris actus eliciens, eam immensis incrementis adaugebat; tum quia ipsa heroico charitatis actu crebro et quasi assidue se cum filio, Deo in holocaustum morti pro salute hominum devovebat: cujus actus undequaque pretium et meritum erat ingens, et nobis incomprehensibile.

23° EJUS DUODECIM PRÆROGATIVÆ.

In capite ejus corona stellarum duodecim. (Apoc. xii. 1.) — S. Bernardus, in hæc Apocalypsis verba, per hos duodecim stellas accipit duodecim prærogativas gratiarum, quibus præ cæteris coronatur B. Virgo. « Nam *primo*, ait, singularis fulgor refulget in Mariæ generatione; *secundo*, in angelica salutatione; *tertio*, in Spiritus superventione; *quarto*, in Filii Dei incarnabili conceptione; *quinto*, quod virginitalis sit primiceria; *sexto*, quod sine corruptione fœcunda; *septimo*, quod sine gravamine gravida; *octavo*, quod sine dolore puerpera; *nona* est mansuetudo pudoris; *decima*, devotio humilitatis; *undecima*, magnanimitas credulitatis; *duodecima*, martyrium cordis: quæ deinde fuse prosequitur. (Vide infra. B. MARIE VARIE VIRTUTES, XXI, 238, 1 et seq.)

XXI
238
1

24° CUR JOSEPHO NON DIXERIT SE DE SPIRITU SANCTO
CONCEPISSE.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. (Mat. i. 19.) — B. Virgo ex modestia noluit ultro secretum hoc divinum Josepho pandere, ne sua dona tanta et tam divina jactare videretur, sed Deo, Deique providentiæ, et curæ ejus totum hoc opus erat, id ipsum resignavit, certissime confidens Deum suam innocentiam et famam tutaturum, ac rem totam opportune vel patefacturum, uti paulo ante Elisabeth cognatæ patefactum esse experta erat, vel directurum

XV
66
2

omnia ad majorem suam gloriam, consequenter ad majorem conceptionis hujus honorem et venerationem.

Unde vide hic et mirare magnanimitatem et magnanimam B. Virginis in Deum resignationem et confidentiam, qua omne hoc suspicionis sinistrae et infamiae periculum metumque discussit: qua in re rarum dedit exemplum æquanimitatis et constantiae uxoribus quæ maritos habent zelotypos, æque ac fiduciae in Deum, ut sperent quod Deus innocentiam et castitatem eorum pandet, proteget et celebrabit, uti hic fecit B. Virgini. Ita Hieronimus: « Hoc, ait, testimonium Mariæ est, quod Joseph, sciens illius castitatem et admirans quod evenerat, celat silentio cujus mysterium nesciebat. » Et S. Ambrosius, *in cap. i. Luca*: « Maluit, ait, Dominus quosdam de sua generatione, quam de matris pudore dubitare. »

Hinc videtur S. Joseph non fuisse comitatus beatam virginem, dum ipsa mox a conceptione Christi visitavit S. Elisabeth; si enim fuisset comitatus, vidisset et audisset magnalia et mirabilia de B. Virgine quæ omnem ei scrupulum exemissent, nec de ejus demissione cogitasset, ac præsertim illud quod dixit S. Elisabeth B. Virgini: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Unde enim scivisset B. Virginem non tantum concepisse ex Deo, sed concepisse ipsummet Deum, eumque utero suo gestare. Nota: Joseph hic vocatur justus, id est probus, utpote qui ex charitate vellet conjugis suæ famæ, imo et dignitati consulere, dum eam occulte dimittere cogitat qua se putat indignum. Censent, Hieronymus et Theophylactus lege veteri præceptum fuisse maritis ut uxores, si adulterium commisissent, tra-

ducerent et apud judices accusarent traderentque puniendas. Verum nullum locum in quo id præceptum sit afferunt. Nam locus ille, *Num. v, 2*, id tantum permittit, non vero præcipit; sed ut dixi, hoc crimen procul aberat a B. Virgine, et ejus suspicio procul a Josepho.

25° EJUS RESIGNATIO ET IN DEUM CONFIDENTIA.

(Vide superius, xv, 66, 2.)

